AUTHOR: OPITZ, THEODOR

TITLE: IN IULIO FLORO SPICILEGIUM....

PLACE: DRESDEN


DATE: 1884

Master Negative #
91-80081-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


870.8
Z8
v.7
Opitz, Theodor,
...In Iulio Floro spicilegium criticum, von ... Dr. Theodor Opitz... Dresden, Teubner, 1884.
36 p. 30 cm.

At head of title: Programm des Königlichen gymnasiums zu Dresden-Neustadt...


Volume of Pamphlets

335757

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202




Centimeter



Inches







No. 15

PROGRAMM

des

Königlichen

Gymnasiums zu Dresden-Neustadt

womit

zu der feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 22. März vormittags 10 Uhr

und

zu den öffentlichen Prüfungen der Klassen

am 28. und 29. März

im Namen des Lehrerkollegiums

ergebenst einladet

in Vertretung:

Konrektor Professor Dr. Otto Kaemmel,

Ritter des Königl. Sächs. Albrechtsordens erster Klasse.

X.

Inhalt:

Dresden,

Druck von B. G. Teubner.

1884.

1884. Progr. Nr. 490.

IN IULIO FLORO SPICILEGIUM CRITICUM.

SCRIPSIT

THEODORUS OPITZ.

CAPUT I.

Satis multa ex Flori libris in suum usum conuertit **Orosius**. E quo quamquam ad criticen faciendam non magna sane utilitas capi potest (cfr. Jahnii praefationem pag. XLVIII), tamen sunt quae commemorare operae pretium uideatur. Nam, id quod magni est momenti, is codex, quo Orosius usus est, Nazariano similior erat quam Bambergensi.[1]) Cfr.:

Florus:	Orosius:
I, 1, 11 (pag. 7, 10 Jahn): *Caeninensium captum ac dirutum est oppidum* (sic N, *direptum* J B).	II, 4, 7 (pag. 89, 5 Zang.): *Caeninensium captum ac dirutum oppidum.*
II, 18, 2 (54, 12): [Numantia] *quattuor milibus Celtiberorum quadraginta exercitum per annos XIIII sola sustinuit nec sustinuit modo sed saeuius aliquanto perculit pudendisque foederibus adfecit* (sic N, *per annos XI* B).	V, 7, 3 (293, 1): *haec per annos XIIII cum solis quattuor milibus suorum quadraginta milia Romanorum non solum sustinuit sed etiam uicit pudendisque foederibus adfecit.*
IV, 12, 5 (115, 10): *infantes suos adflictos humi in ora militum aduersa miserunt. (humi* J, *humano* N, *inhumane* *N altera manu[2]), deest in B.)	VI, 21, 17 (424, 14): *paruos filios conlisos humi in hostium ora iaciebant.*
IV, 12, 50 (121, 18): *Medulli montis obsidio, quem perpetua XV milium fossa comprehensum cinxit* (sic N, *XVIII milium* B).	VI, 21, 7 (422, 14): *Medullium montem .... per XV milia passuum fossa circumsaeptum obsidione cinxerunt.*

Itaque Orosii testimonium ad certius de nonnullis locis iudicium ferendum adhibere licet, ut infra pag. 4 et 10 faciemus. Eadem auctoritate iudicium illud, quod H. J. Muellerus

---

1) Vide Zangemeisteri praefationem pag. XXVI: Orosius cum his (Palat. Heidelb. 894 saec. IX [=Naz.] et 1508 saec. XI) potius quam cum Bambergensi consentit idque eius recensionis, nimis opinor huc usque neglectae, uestustas certo asseritur.

2) Woelfflini eximia humanitate factum est, ut ea collatione codicis Nazariani, quam ipse ante paucos annos in usum Caroli Halmii fecit, uti mihi liceret. Ex ea quoniam nunc constat, quid quoque loco scriptum quidue uel priore uel altera manu correctum sit, maximum percepi fructum. Itaque hic quoque uiro illi egregie de litteris latinis eisque qui in eis uersantur merito gratias ago quam maximas. Quae ex hac collatione commemorantur, asterisco apposito (*N) significaui.

Fleckeiseni annalium uol. CIII pag. 574 de **I, 18, 6 (23, 1)** tulit, firmatur. Is enim hunc locum sic interpungi iubet: [Pyrrhus] *mari terra, uiris equis, armis addito insuper ferarum terrore ueniebat.* Quibuscum plane consentiunt, quae habet Orosius IV, 1, 6 (207, 8): *terra mari, uiris equis, armis beluis.*

Nec minus dignum est quod commemoretur, tribus locis, quibus uiri docti narrationem Flori glossematis corruptam esse sibi persuaserunt, ea ipsa uerba, de quibus dubitatum est, apud Orosium extare. Qua re, quamquam per se nil obstat, quominus illum iam interpolato Flori exemplari usum esse statuamus, tamen, quoniam tres sunt eius modi loci, scrupulus inicitur, num illorum de eis iudicium uerum sit. Sunt autem hi:

I, 7, 5 (10, 27) in uerbis *sic ualida oppida Latio* (N addit[3]) *in) capta sunt, Ardea, Ocricolum, Gabii, Suessa Pometia* Sauppius apud Koehlerum (obseruationes criticae in Iulium Florum) pag. 9 *Latio* damnat. At uide Orosium II, 4, 12 (90, 10): *Oppida ualida in Latio per eum capta Ardeam Oricolum Suessam Pometiamque.*

I, 18, 6 (22, 26): *Pyrrhus, qui semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus ciuitatem* (scilicet Tarentum) *uindicaturus .... ueniebat.* Verba *ex Lacedaemoniis conditoribus* deleta uult H. J. Muellerus l. s. s. pag. 574. At extant apud Orosium IV, 1, 6 (207, 5): *Tarentum, utpote ex Lacedaemoniis conditam cognatamque Graeciae ciuitatem uindicaturus.*

I, 18, 6 (22, 27) in uerbis quae ea, de quibus modo egimus, statim sequuntur, *cum totis uiribus Epiri, Thessaliae, Macedoniae incognitisque in id tempus elephantis mari terra, ... ueniebat* Freudenbergio (quem uide musei Rhenani uol. XXII pag. 25) *incognitisque in id tempus elephantis* suspecta uisa sunt. At cfr. Orosium IV, 1, 6 (207, 7): *totas uires Epiri, Thessaliae et Macedoniae elephantos etiam usque in id tempus inuisos Romanis numero XX in Italiam primus inuexit.* Ceterum moneo Freudenbergii sententiae aliis argumentis nisos iam obstitisse Binsfeldium quaestionum Florianarum criticarum pag. 8 et H. J. Muellerum l. s. s. pag. 574, eodem nisum Sauppium commentationis de arte critica in Flori bellis recte facienda pag. 18.

Unum addo. Quoniam Orosius omnes, quibus Flori notitia ad hanc aetatem peruenit, codices uetustate adeo superat, ut facile fieri potuerit, ut quae hodie corrupta tradita sunt, ille in suo exemplari incorrupta legeret, ex eo quae Flori libri praebent corrigere licebit. Quod quamquam ita est, tamen uereor ne ea, quam Zangemeisterus ex Orosio II, 19, 6 (130, 14) fecit, coniectura speciosior quam uerior sit. Ibi enim haec leguntur: *hos* (scilicet Gallos) *ita ruentes Fabius cum exercitu consul excepit; nec tamen obstitit, immo potius hostilis ille impetus quasi aridam segetem succidit strauit et transiit. testatur hanc Fabii cladem fluuius Halia, sicut Cremera Fabiorum. non enim facile aliquis similem ruinam Romanae militiae recenseret, etiam si Roma insuper incensa non esset.* Flori de eadem re narratio haec est: **I, 13, 7 (17, 7)** *conuersis igitur a Clusio Romamque uenientibus ad Aliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. non temere foedior clades; itaque hunc diem fastis Roma damnauit.* Zangemeisterus igitur quoniam apud Orosium est *sicut Cremera Fabiorum*, pro *non temere foedior clades* scribi iubet *non Cremerae foedior clades*, iniuria, si quid uideo. Nam ut concedam *Cremerae* pro *ad Cremeram* — agitur de flumine! — dici posse, Florianis *non temere* respondent Orosii uerba *non enim facile* et formula *non temere* apud Florum satis usitata est, ut in ea corruptelam latere mihi persuadere non possim, uide I, 18, 26 (25, 9)

3) Cfr. quae his de uerbis Fleckeiseni annalium uol. CXXI pag. 212 disputaui.

nec enim temere ullus pulchrior in urbem aut speciosior triumphus intrauit; II, 18, 3 (54, 17) *non temere ullius causa belli iniustior;* III, 23, 8 (92, 25) *quod non temere alias in ciuilibus bellis.*

Multo plura ad emendandos Flori libros ex **Jordane** hauriri nemo ignorat. Itaque ei, qui in crisi huius scriptoris uersantur, dici uix potest, quantum egregiae Mommseni operae debeant. Nam quamquam ex eius editione non tantus redundat fructus, quantum forsitan quispiam sperauerit — id quod ipse significauit prooemii pag. XXIV — tamen nunc de multis locis certius aliquid statuere licet quam antea. Ante omnia autem inde didicimus codices Pollingensem (J^p), quo Jahnius Halmiusque, et Emmeranum siue Ratisbonensem (J^e), quo Halmius unus usus est, nullius omnino pretii esse. Vide Mommseni prooemium pag. LIV et LXI. Quid igitur de eis lectionibus, quae his tantum codicibus nituntur, iudicandum sit, non est dubium: reiciendae sunt ad unam omnes. Vide:

I, 13, 21 (19, 4). Scriptor, postquam de rebus a Manlio Torquato et Valerio Coruino contra Gallos gestis uerba fecit, sic pergit: *nec non tamen post aliquot annos omnis reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit, ne quis extaret ex ea gente, qui incensam a se Romanam urbem gloriaretur.* Pro *qui*, quod Jahnius Halmiusque ex uno J^p receperunt[4]), B N cum omnibus bonis codicibus Jordanis *quae* praebent. Itaque eorum auctoritas sequenda est. Accedit quod *quae* etiam multo aptius est. An quisquam dubitat, quin ei proelio, quo Senones Dolabella anno a. Chr. n. ducentesimo octogesimo tertio deuicit, ex eis, qui Romam incenderant, nemo interfuerit, ut recte iam monuit Dukerus.

Nec magis probare licet, quod **II, 2, 21 (31, 13)** pro *ipsam caput belli Carthaginem* ex uno eodem codice *ipsum caput belli Carthaginem* scribi iubet H. J. Muellerus in symbolis ad emendandos scriptores latinos (in 'Festschrift zur 2. Säkularfeier des Friedrich-Werderschen Gymnasiums') pag. 37. Nam *ipsam* exstat in BJN, defenditur autem simillimis locis I, 16, 6 (20, 17) *ipsa caput urbium Capua* et II, 6, 38 (39, 12) *Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem;* cfr. Halmii praefationem pag. VII. Idem legitur Ruf. 9: *ipsam caput gentis Thraciam.*

De duobus aliis locis infra pag. 7 agetur.

Ex eodem fonte in eis, quae l. s. s. pag. 203—210 de auctoritate codicum JN egi, nonnulla corrigenda. Primum quattuor locos subieci, quibus commentarios criticos Jahnii Halmiique secutus in JN easdem lectiones traditas esse dixeram, nunc autem hos codices inter se discrepare scimus:

I, 1, 3 (6, 14): *uber admouit* B *uber ammouit* J (nisi quod in L est *ubera mouit*, in V *ubera admouit*) *ubera admouit* N.

II, 2, 25 (31, 24): *carceris* B *carceres* J *carcere* N.

II, 3, 4 (33, 16): *adhaerentis* B *adhaerentes* N. Id ipsum *(adhaerentes)* quamquam etiam apud Jordanem legitur, is tamen non accusatiuum sed nominatiuum esse uoluit: *nam Ligures hi imis Alpium iugis adhaerentes inter Varum Magramque amnem implicitos (?) dumis siluestribus uictitabant, quos pene maius fuit inuenire quam uincere* (pag. 22, 14 sq.).

II, 6, 40 (39, 23): *saltem oculis* B *saltim oculis* J *saltem uel oculis* N.

4) Silentio praeterire nolo secundum Woelfflini collationem in N ad marginem ab altera manu adscriptum hoc legi: *t q̊*.

Quae cum ita sint, de his quattuor locis nunc aliter iudicandum esse, uix est quod addam.

Contra ex Mommensi apparatu critico augere licet numerum eorum locorum, quibus J N contra B consentiunt, siue antea quid in J traditum esset omnino ignorabatur siue de J^b uel J^p tantum constabat. Secundum ea, quae hac de re l. s. s. egimus, dubitari nequit, quin hae lectiones in textum omnes recipiendae sint, nisi forte uno uel altero loco ille consensus casui debetur[5]). Id unum addere libet, de eis tantum locis agi, quibus memoria Bambergensis per se spectata probari possit. Nam si eos addere uellemus, quibus in B culpa librarii manifesto erratum est, index in immensum augeretur. Nunc autem ad rem ipsam ueniamus.

I, 1, 4 (6, 18): *fratre pulso Numitore* J N *fratre pulso* (omisso *Numitore*) B. Sic iam Jahnius Halmiusque.

I, 1, 12 (7, 14): *petierant* N *petierat* J *petiuerat* B. Restituo cum Dukero *petierat*. Forma per syncopen breuiata in omnibus libris seruata est III, 3, 14 (61, 21) *petierunt*, libri inter se discrepant II, 6, 26 (38, 2) *petierunt* B J *petiuerunt* N et III, 8, 6 (70, 13) *petiuerunt* B *petierunt* *N, contra in forma pleniore *petiuerunt* consentiunt I, 2, 1 (8, 4) et III, 6, 13 (68, 27). Non minor uarietas in ceteris eiusdem generis uerbis cognoscitur, uelut omnes libri exhibent *lacessierant* II, 17, 5 (52, 16), *desierunt* III, 17, 9 (82, 26), *concupierat* (*concupiit* N) IV, 12, 22 (118, 5), utraque forma tradita est I, 7, 2 (10, 22) *adquisiuerat* B J *adquesierat* N, plenior sola III, 3, 3 (60, 15) *nequiuerant*, IV, 9, 7 (112, 1) et IV, 12, 17 (117, 6) *desciuerant*, IV, 11, 3 (113, 20) *desciuerat*. Quae cum ita sint, non uideo, quo iure Thoméus de Flori rerum scriptoris elocutione I pag. 9 pro — *iueram* semper — *ieram* Florum scripsisse contenderit.

I, 2, 2 (8, 7): *fastos dies nefastosque discripsit* J N *descripsit* B. Probauerunt iam Sauppius l. s. s. pag. 9 et H. J. Muellerus (cfr. eius appendicem criticum ad Liv. I, 19, 6).

I, 3, 2 (8, 18) *exercita iuuentute* J N *exercitata* B. Sic iam Jahnius et Koehlerus obseruationum criticarum in Iulium Florum pag. 6, qui bene Orosium II, 4, 9 (pag. 89, 11) conferri iubet, qui quae hac de re narrat e Floro hausit: *fiducia bene exercitae iuuentutis*.

I, 5, 4 (9, 25): *atquin* N *adquin* J *atqui* B. Sic Jahnius Halmiusque; cfr. Jahnii praefationem pag. XXXII.

I, 13, 12 (17, 21): *e plebe* J N *ex plebe* B. Sic Dukerus. Forma *e* eo magis restituenda, quod apud Florum multo rarius quam *ex* legitur. Nam ni fallor quattuor tantum locis in omnibus libris extat: I, 1, 16 (7, 27) *e conspectu*; I, 17, 6 (22, 3) *e caelo*; III, 10, 4 (71, 12) *e manu*; III, 20, 6 (86, 25) *e uiminibus*. Uno loco libri inter se discrepant: II, 8, 11 (44, 17) *e uestigio* B *ex uestigio* N, omnibus reliquis unam formam *ex* libri exhibent[6]).

I, 17, 3 (21, 22): *calydonius* J N *caledonius* B. Hic rem dubiam esse concedo. Nam III, 10, 18 (73, 3) in B est *Caledonas*, in N *Calidonias*.

---

5) Id ipsum statuendum uidetur de **II, 2, 23 (31, 20)**: *sed ille quidem par tantae calamitati fuit. calamitati* praebet B, *calamitatis* J N. Sed ualde dubito, num *par*, cum significat 'gewachsen', cum genetiuo coniungi possit. Accedit quod corruptela oriri facillime potuit.

6) Nonnunquam in altero utro librorum pro *ex* scriptum est *et*, uelut I, 3, 6 (9, 2) *ex foedere* B J *et foedere* N; I, 9, 2 (12, 11) *ex singulari* J N *et singulari* B; III, 10, 18 (73, 3) *e regibus* N *et regibus* B. Qua re probabilitas eius coniecturae augetur, qua Halmius **III, 20, 6 (87, 1)** pro *et ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt* scribi iubet *ex ferro* e. q. s. e *e ferro* iam apud Dukerum est.

I, 18, 3 (22, 20): *calamitatum* J N *calamitatium* B. *calamitatum* restituere eo minus dubito, quod nullo ni fallor loco a Floro genetiuus substantiuorum, quae in *tas* exeunt, in *ium* formatur. Velut **II, 18, 12 (55, 14)** in omnibus codicibus est *necessitatum*.

I, 20, 1 (26, 3): *inclyto* J N *inclito* B. Simili modo memoria fluctuat I, 2, 1 (8, 4): *inclitam* B J *inclytam* *N.

I, 20, 1 (26, 3): *et in hoc certamine* J N Jahnius, *in hoc certamine* B Halmius.

II, 6, 27 (38, 5): *reuiuiscentis* J N Jahnius, *reuiuescentis* B Halmius. Hac quoque de re dubitare licet. Nam III, 5, 14 (65, 9) uterque codex exhibet *reuiuescunt*.

CAPUT II.

Jahnius Halmiusque nonnullis locis lectiones in textum receperunt, quae auctoritate unius b nituntur, qua littera Jahnius, ut ipsius uerbis utar, in codice Bambergensi 'si quid erratum est et ab ipso librario statim correctum, notauit quod prius scriptum est'. Quod iure factum esse nego. Nam longe plurimis locis — collegi autem plus quam centum — ea, quae praebet b, neglegentia librarii orta sunt. Videsis:

I, 1, 2 (6, 10) *confessus* b *confessa* B J N
I, 3, 7 (9, 3) *callidum* b *callidus* B J N
I, 10, 6 (13, 21) *sciat* b *scias* B J N
I, 22, 3 (26, 21) *colores* b *colere* B N
II, 6, 23 (37, 22) *decrant* b *erant* B J N
II, 15, 12 (50, 16) *facto* b *fato* B N
III, 1, 16 (59, 6) *diffusus* b *diffisus* B N
III, 3, 2 (60, 11) *potentes* b *petentes* B N
III, 16, 6 (81, 20) *abrutis* b *abruptis* B N
IV, 2, 58 (100, 21) *exigui* b *exigua* B N
IV, 2, 85 (103, 26) *caedentis* b *caedendis* B N[7])
IV, 8, 2 (110, 4) *menecratis foedera* b *menecrates foeda* B N.

Quae cum ita sint, non est dubium, quin eae lectiones, quae e b solo receptae sunt, satis infirmo fundamento nitantur[8]). Sunt autem hae:

III, 1, 9 (58, 16): *poteretur* b *potiretur* B N. Jahnius Halmiusque priorem formam scripserunt. Legitur autem praeterea uno tantum loco I, 1, 18 (8, 2), ubi *poteretur* est in b N, *potiretur* in B J (cfr. infra pag. 8). Vides igitur ibi rem aliam esse. Quoniam autem Florus in rebus orthographicis sibi nequaquam constat (cfr. quae exposui l. s. s. pag. 206), unoquoque loco optimorum librorum memoriam probandam esse censeo. Itaque *potiretur* ex B N restituendum est.

III, 17, 2 (82, 1): *Liuius Drusus ..... tantum conflauit incendium, ut ne prima illius flamma posset sustineri et subita morte correptus hereditarium in posteros suos bellum*

---

7) Quae Jahnius ad IV, 2, 86 (104, 4) commemorat (*tentem* b *petentem* N), eis corriguntur, quae Halmius praefationis pag. XVII exponit.

8) Uno tantum loco in b uno uerum seruatum est: **IV, 8, 5 (110, 16)**, ubi in uerbis: *Pompeianorum bonorum, quorum sector ille fuerat, praeda deuorata* b praebet *sector*, B *sectator*. Sed quoniam hoc loco et auxilio codicis N destituti sumus, qui lacuna XXIV uersuum deprauatus est, nec Jordanes Flori uerba exscripsit, eo testimonio uti non licet.

propagaret. Sic haec uerba in codicibus manu scriptis leguntur, nisi quod b *sustinere* praebet. Inde Jahnius Halmio adstipulante scripsit: *ut ne primam illius flammam posset sustinere* e. q. s. Qua correctione quamquam concedo et sententiam planius procedere et ad rem ipsam optime quadrare, quae dicit Florus § 9: *inparem Drusum aegrumque rerum temere motarum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit,* tamen nego coniecturam illam eo adiuuari quod est in b. Neque enim raro in b male est *ė*, in BN recte *i*; cfr. inprimis: IV, 2, 85 (103, 26) *aestimare* b *aestimari* BN; praeterea II, 6, 15 (36, 25) *clades* b *cladis* BN; IV, 2, 28 (97, 12) *celteueriam* b *celtiueriam* B *celtiberiam* N; IV, 2, 32 (97, 26) *mare* b *mari* BN; IV, 3, 8 (105, 28) *humane* b *humani* BN; IV, 7, 8 (108, 24) *mirantes* b *mirantis* BN; IV, 12, 16 (117, 2) *stoliditates* b *stoliditatis* B *stodilitatis* N. Unde apparet, hic quoque lectionem *sustinere* errori librarii deberi.

IV, 7, 1 (108, 3): *set* b *sed* BN. Quoniam in libris manu scriptis utraque forma *sed* et *set* reperitur (cfr. eiusdem paginae uersus 17 et 25), non est quod hic cum Jahnio Halmioque paruae, quae est in b, auctoritati obsequamur[9]).

Aliis locis Halmius solus eas, quas habet b, lectiones probauit:

III, 4, 4 (63, 7) *siluarum et montium situs cum ingenio consentiebant* memoria codicum BN est. Sed quod *n* littera in B supra uersum eadem manu addita est, futuros esse qui singularem numerum *consentiebat* praeferant Halmius praefationis pag. XII sq. suspicatur. Pluralis tamen numerus eiusdem substantiui legitur I praef., 3 (5, 11): *faciam quod solent qui terrarum situs pingunt.* Praeterea conferenda et ea, quae sunt apud Thoméum l. s. s. pag. 5 et Egenum, de Floro historico elocutionis Taciteae imitatore pag. 10, et ea, quae infra pag. 15 sq. disputabuntur.

III, 14, 7 (80, 15): in uerbis *atque ita* (scilicet Ti. Gracchus) *duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi iure oppressus est* in codice Bambergensi ante *concitato* praepositio *a* addita, sed a librario ipso erasa est. Quae lectio Halmio (cfr. eius praefationem pag. XIV) uera esse uidetur, mihi autem reicienda. Nam et praepositione addita constructio minus elegans est et *a* ex antecedente uoce *Nasica* oriri facillime potuit. Praeterea cfr. simillimum locum IV, 1, 11 (94, 4): *infestis ab Etruria signis patriam petens obuio Antonii exercitu opprimitur.*

Non minus audacter Halmius **IV, 2, 39 (98, 19)** uerba *nunc obsidione castrorum quae sedecim milium uallo obduxerat* in *quibus sedecim milium uallum obduxerat* corrigi iubet (uide praefationis pag. XVI), quod a b *uallũ* uel *ualliũ* scriptum idque in rasura in *uallo* correctum est Id autem mendum inde originem traxisse, quod antecedit uox *milium* nemo non uidet.

Nec magis probo, quod Halmius **IV, 10, 5 (112, 21)** unius b auctoritate commotus accusatiuum *montis* scripsit. Nam ne in his quidem formis Florus sibi constat (cfr. quae exposui l. s. s. pag. 204). Eodem iure Halmius III, 2, 3 (59, 20) *Alpis* ex uno b probare debebat.

9) Quod Jahnius **IV, 2, 30 (97, 20)** in b *radiaret,* in B *radiarent,* in N *radiarentur* legi contendit, id falsum esse ex Halmii praefatione pag. XVI apparet. Item Jahnius errat, cum **IV, 10, 8 (113, 3)** in uerbis *nouissime quae iam ab inualidis et auide hauriebantur noxae etiam dulces fuere* uocem *noxae* e b se recepisse tradit. Nam si Halmio (cfr. eius praefationem pag. XVIII) fidem habere licet, ex scriptura ueteris manus nihil seruatum est nisi: *tum quibusdam salmacidae *** Etiam dulces fuere.* Ceterum moneo lectionem *noxae* impugnari et a Koehlero l. s. s. pag. 40 et a Sauppio l. s. s. pag. 20.

Vidimus igitur b unum nullam auctoritatem habere. Nec plus his lectionibus tribuendum est, cum deteriores Jordanis codices accedunt. Tum enim consensum casui deberi ex his duobus locis apparet:

I, 3, 5 (9, 1): *citauere leges nefas, set abstulit uirtus parricidium.* Sic Halmius scripsit, quod in Jordanis fragmento Emmerano *parricidium* legitur et B *parricidam* ita habet, ut littera *i* ante *am* erasa sit. Fragmentum autem illud nullius pretii esse iam supra pag. 3 commemorauimus. Itaque cum Jahnio scriptura codicum BJN *parricidam* retinenda est.

I, 18, 1 (22, 9): in uerbis *hoc* (scilicet bellum Tarentinum) *Campanos Apulos atque Lucanos et caput belli Tarentinos, id est totam Italiam et cum iis omnibus Pyrrhum .... una ueluti ruina pariter inuoluit* pronomen *iis* est in b et Pollingensi Jordanis, *his* in BJ, *istis* in N. Cum autem de Pollingensi idem fere atque de Emmerano iudicandum sit (cfr. supra pag. 3), restituo e BJ *cum his.* Id enim aptius uidetur quam quod est in N.

Paulo aliter res se habet, cum b cum bonis Jordanis codicibus uel omnibus uel plurimis consentit. Quamquam hic quoque casui locus est, uelut **I, 6, 2 (10, 10)** in uerbis *inter Tarquinii mortem adnitente regina substitutus in locum regis* pro *adnitente* b et optimi codices Jordanis (HPV) *adnitentem* praebent.

Tribus, qui sequuntur, locis agitur de rebus orthographicis, de quibus certum ferre iudicium non audeo. Sunt autem hi:

I, 20, 1 (26, 2): *Sallentini* BN, *Salentini* bJ (*Sarentini* Jordanis H). In hoc nomine scribendo ne ceteri quidem scriptores inter se consentiunt: *Sallentini* est apud Liuium (IX, 42, 4; X, 2, 2 et 3; saepius), Sallustium (hist. IV, 18 D), Frontinum (II, 3, 21), Eutropium (II, 17), *Salentini* apud Ciceronem (pro Roscio 132 ed. Kaiser et Baiter) et Plinium (uide Silligianae editionis indicem).

II, 2, 35 (32, 24): b legit *abenis*, J *auenis*, BN *habenis.*

IV, 11, 8 (114, 14): bJ praebent *purporeo*, BN *purpureo.* Quo melius perspiciatur, quanta hac in uoce scribenda dissensio codicum Florianorum sit, omnes quotquot inueni locos adscribere libet: I, 10, 5 (13, 19) *purporatum* BN *purpuratum* J; II, 8, 16 (45, 1) *purpora* BN; III, 19, 10 (85, 19) *purporea* B *purpurea* N. Reliquis locis littera *u* in omnibus codicibus extat: I, 18, 27 (25, 14); III, 21, 17 (89, 19); IV, 11, 3 (113, 21); IV, 11, 7 (114, 12).

Contra dubium esse non potest, quin **IV, 12, 11 (116, 12)** bJ uerum seruauerint, cum uictorem Delmatarum *Vibium* uocant, qui falso est *Vebius* in B, *Vbius* in N.

Longe aliter iudicandum est de eis locis, quibus ad b accedit auctoritas codicis Nazariani. Has enim lectiones, quoniam in eis libri manu scripti diuersarum familiarum consentiunt, non casu[10]) ortas esse, sed **in communi archetypo** extitisse luce clarius est idque eo magis quod non paucis locis etiam Jordanis codices idem atque bN praebent. Unde efficitur eas uel hac ex parte multum habere quo commendentur. Praeterea omnibus fere locis aliis quoque argumentis adlatis lectiones illas ueras esse demonstrare licebit. Itaque mirum uidetur, quod Jahnius (cfr. eius praefationem pag. XIII) Halmiusque eas his sedecim tantum quos subieci locis uel primi uel Dukerum ueteresque editores secuti probauerunt:

10) Uno tamen loco bN in mendo aliquo consentire libenter concedo: **IV, 7, 10 (109, 2).** Verba grauiter corrupta adscribere supersedeo. Sed utut de eis iudices, id certum est, in uerbis *staret tamen pro partibus inuicta fortuna et ultoris et qui uindicabatur* singularem *staret,* qui est in uno B, uerum esse. *Starent,* quod praebent bN, e pluralibus, quae antecedunt, *adessent* et *subduxissent* ortum est.

I, 1, 18 (8, 2): *poteretur* b N *potiretur* B J (cfr. supra pag. 5).

I, 2, 3 (8, 7): *ancilia* b N J *anchilia* B.

I, 9, 4 (12, 20): *eminentis aedis* b N (*aem.* b) *aeminentes aedes* B. Jordanis codices habent *eminenti sedes.* De forma ipsa uide quae disputaui l. s. s. pag. 204.

I, 12, 6 (16, 6): *uictoria quae .... pareretur* b N *pararetur* B[11]).

I, 13, 16 (18, 10): *stato quodam die* b J *stato* (superscripto *t tu*) *N *statuto* B[12]).

I, 16, 4 (20, 12): *hic illi nobiles portus* b N J *hinc* B.

I, 18, 7 (23, 3): *fluuiumque lirim* b N J (J *lirem*) *lyrim* B[13]).

I, 22, 2 (26, 15): *postumium* b N *posthumium* B.

I, 24, 2 (27, 18): *oblitus et Lucretiae et regum et iuris* b N *o. et L. et legum et iur.* B.

I, 26, 7 (28, 12): *ahala* b N *abala* B.

II, 2, 4 (29, 13): *sollicitante* b N *sollicitandi* B.

II, 14, 5 (49, 5): *ad quem* b N *at quem* B.

III, 3, 9 (61, 3): *en illic habetis* b N *et i. h.* B.

III, 10, 17 (72, 25): *plena erant tumultu hostico litora* b N *hostilico* B[14]).

IV, 12, 19 (117, 14): *Caesari augusto* N *aug.* b *aut* B.

IV, 12, 22 (118, 3): *set* b *sed* N *et* B.

Nunc uenio ad eos locos, quibus ego uel primus uel post Dukerum ueteresque editores lectiones quas habent b N probandas esse mihi persuasi:

I, 1, 13 (7, 16): *atrox in ipso foro pugna, adeo ut Romulus Jouem oraret, foedam suorum fugam sisteret: hinc templum et Stator Juppiter.* Ita est apud Dukerum Jahnium Halmium e B J, contra in b N est *hic. hinc* per se ferri posse non infitias eo. Sed *hic* id est *hoc loco,* praeterquam quod in b N est, etiam eo commendatur, quod apud Liuium I, 12, 6 legimus: *hic ego tibi templum Statori Joui .... uoueo.* De genere corruptelae cfr. quem locum modo laudauimus I, 16, 4 (20, 12): *hic* b N J *hinc* B.

I, 13, 19 (18, 27): *illam ipsam Gallicam gentem non contentus moenibus expulisse, cum per Italiam naufragia sua latius traherent, sic persecutus est* (scilicet populus Romanus) *duce Camillo, ut* e. q. s. *traherent* B J secuti Jahnius Halmiusque scripserunt. Constructiones quas uocant ad intellectum apud Florum non inusitatas esse exposui l. s. s. pag. 205. Quare hac ex parte lectio *traherent* non habet quod reiciatur. Sed quoniam in b N singularis *traheret* (*traeret* b, item *traerent* B) traditus est, eum praefero, praesertim cum etiam duobus aliis locis eadem inter b N et B discrepantia intercedat. Alter est **II, 15, 2 (49, 13):** Comparatis inter se bellis Punicis postquam tertium *maximum euentu* fuisse dixit, scriptor sic pergit: *quippe tandem Carthago finita est. adquin si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est Punicum bellum, profligatum secundo, tertio uero confectum est. sed huius causa belli, quod contra foederis legem aduersus Numidas quidem, sed parassent classem et exercitum.* Pro *parassent* (sic B), quamquam *Carthaginienses* cogitatione satis facile additur, tamen *parasset*, quoniam in b N est, scribere malo. Subiectum est *Carthago.* Tertius

11) Contra I, 3, 5 (8, 26) *parta uictoria est* extat in B J N, *parata* in b.

12) Quod Jahnius in J *statuto* legi tradit, nunc corrigitur ex editione Mommseniana pag. 16, 31.

13) Eadem forma utitur Orosius IV, 1, 8 (pag. 207, 13). Num uera sit dubitat Sauppius l. s. s. pag. 17, qui praefert *Sirim.*

14) Ceterum moneo mihi quoque Mommseni coniecturam ualde placere, qui *hostica* scribi iubet.

locus est **IV, 12, 12 (116, 13):** *quod* (scilicet aurum) *alioquin gens omnium cupidissima eo studio, ea diligentia anquirit, ut illud in usus suos eruere uideantur.* Hic quoque pluralis *uideantur* unius B auctoritate firmatur. Restituendum igitur, quod in b N est, *uideatur.*

I, 13, 21 (19, 4): *post aliquod annos* b N J *aliquot* B. Quoniam in scribendis uocibus, quae in consonantem dentalem exeunt, libri manu scripti sibi nunquam fere constant (*sed set, haud haut, adque atque*), uno quoque loco, id quod iam supra pag. 5 significaui, optima memoria sequenda est. Quare hic *aliquod* recipere eo minus dubito, quod II, 17, 9 (53, 4) — his duobus tantum locis legitur — haec forma et in N et in B extat.

I, 18, 27 (25, 13): *bruttius* b N *brattius bractius bratius* J *brittius* B. Formam *bruttius* scribendam esse iam l. s. s. pag. 210 demonstratum est.

II, 2, 12 (30, 12): *penormo* b *panormo* J N *panhormo* B. His de formis ibidem egi. Hic statim adiungo **II, 6, 34 (38, 29)**, quamquam hoc de loco me ualde dubitare non nego. Est autem in b N J *actenus*, in B *hactenus.* Reliqui loci, quibus haec uox legitur, hi sunt: I, 11, 5 (14, 19) *hactenus* B *actenus* N; I, 17, 1 (21, 15) *hactenus* B J N; II, 19, 1 (56, 5) *hactenus* N *haectenus* B.

II, 2, 29 (32, 8): *ubi ille praecipitare pullos iusserat* b *N *praecipitari* B J. Hoc quoque loco difficillimum est dictu, utra lectio praeferenda uideatur. Id enim concedo omnino similem locum apud Florum non inueniri, sed eum semper in eiusmodi enuntiatis passiuo uti. Vide: II, 12, 6 (47, 14) *ut pecuniam omnem in mare iusserit mergi ne periret et classem cremari ne incenderetur;* III, 5, 7 (64, 14) *omnes qui in Asia forent Romanae ciuitatis homines interfici iussit;* III, 10, 6 (71, 19) *Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant: iussit includi; morabantur in siluis: iussit incendi;* III, 16, 4 (81, 15) *Publium Mummium competitorem interfici iussit;* cfr. praeterea III, 21, 24 (90, 13); III, 21, 28 (91, 2); IV, 2, 21 (96, 22); IV, 2, 23 (96, 30); IV, 2, 58 (100, 20); IV, 12, 60 (122, 23). Bis tantum infinitiuus actiui legitur, sed utroque loco subiectum ex eis, quae antecedunt, nullo negotio additur: I, 22, 3 (26, 19) *clarissimos principes, quod aduersarentur uoluntati suae, exulatione multauit* (scilicet populus Romanus), *ut Coriolanum agros colere iubentem* et IV, 12, 59 (122, 19) *fiduciam montium timens* (scilicet Caesar), *in quos se recipiebant, castra sua ...... habitare et incolere iussit.* Quae quamquam ita sunt, tamen, quoniam constructio per se ipsa ferri potest (uide Draegeri syntaxin historicam § 417, 5), haud scio an recipienda sit. Eadem discrepantia codicum est apud Sallustium Jug. 46, 4, quo loco P C praebent: *ceterum palam quae ex uoluntate forent regi nuntiare iubet,* P_1C *nuntiari* (cfr. Wirzium, de fide atque auctoritate codicis Sallustii Parisini 1576 pag. 10). Hic quoque infinitiuum actiui, quem quantum uideo unus Schmalzius recepit, recte se habere existimo.

III, 3, 15 (61, 24): *istic quoque imperator* (agitur de pugna in campo Raudio commissa) *addiderat uirtuti dolum, secutus Annibalem artemque Cannarum; primum nebulosum nanctus diem, ... tum acie conuersa in orientem, ut, quod ex captiuis mox cognitum est, ex splendore galearum aere repercusso quasi ardere caelum uideretur.* Sic Jahnius e sua coniectura eumque secutus Halmius. *aere repercusso* dici posse apparet ex Ouidio met. VII, 782 *clipei, quod laeua gerebat, aere repercusso.* Sed b praebet *acre percussum*, B *aere percusso*, N *ac repercussu.* Vera igitur lectio procul dubio in N seruata est, syllabis falso disiunctis corrumpi coepta est in b, corrupta in B. De substantiuo *repercussus* agit Holsteinius, de Plinii minoris elocutione I pag. 14.

III, 8, 5 (70, 10): *cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percusserit.* Sic Bambergensem secuti Jahnius Halmiusque. Sed bene se habet, quod in b N est, *percussit.*

IV, 12, 49 (121, 15): *hinc statim fuga in eminentissimum Vindium montem.* Sic Jahnius Halmiusque. Sed ex eis, quae in codicibus tradita sunt, elicitur forma *Vinnium.* Id enim ipsum habet N, *ui*niu* b, *ui*niuium* B. Atque hanc ipsam formam in suo exemplari iam Orosius VI, 21, 5 (pag. 422, 8) inuenit. Quod apud Ptolomaeum (VII, 1, 21. 28. 30. 31. 32. 47. 69) commemoratur *Οὐῶνδιον ὄρος*, in *τί καλουμένῳ τμήματι τῆς Ἰνδικῆς* situm erat, hic autem de monte Hispaniensi sermo est.

Unus restat locus, quo quamquam memoria codicum B J per se spectata non habet sane cur displiceat, tamen auctoritate eorum, quae sunt in b N, fretus coniecturam proponere non dubito: **I, 3, 4 (8, 24):** *Horatius addito ad uirtutem dolo* (agitur de pugna Horatiorum et Curiatiorum), *ut distraheret hostem, simulat fugam singulosque, prout sequi poterant, adortus exuperat.* Pro *poterant*, quod est in B J, b N *poterat* praebent. Itaque si quid uideo scribendum: *prout quisque sequi poterat*, ut est apud Liuium I, 25, 7: *capessit fugam ita ratus secuturos, ut quemque uulnere adfectum corpus sineret.* Quam facile *quisque* ante *sequi* intercidere potuerit, non est quod moneam. Ceterum *prout quisque* saepius apud Liuium legitur, cfr. VIII, 21, 1 et XXXVIII, 50, 5 *prout cuiusque ingenium erat;* XXIX, 35, 3 *prout cuiusque opera fuit.*

CAPUT III.

Nonnullis locis Jahnius Halmiusque male ab omnibus libris (B J N uel, ubi J deest, B N) discessisse uidentur:

I, 9, 6 (12, 27): *Liber iam hinc populus Romanus prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria et imperio, lacessentibus adsidue usquequaque finitimis, quippe cui patrii soli glaeba nulla, set statim hostile pomerium, mediusque inter Latium adque Etruscos quasi in quodam biuio collocatus omnibus portis in hostem incurreret.* Sic e Salmasii coniectura Dukerum secuti Jahnius Halmiusque. Contra in B J N est *quippe cum.* Quod cur displiceat, non uideo. Nam apud Florum interdum, quo planius uis causalis perspiciatur, *quippe* ad coniunctionem *cum* additur, uelut II, 8, 2 (43, 14) *non aliud formidolosius fama bellum fuit, quippe cum Persas et orientem, Xerxen adque Darium cogitarent, quando perfossi inuii montes, quando uelis opertum mare nuntiaretur;* II, 20, 7 (57, 15) *quae res ut maturam, ita infamem fecit uictoriam, quippe cum contra fas deum moresque maiorum medicaminibus inpuris in id tempus sacrosancta Romana arma uiolasset;* III, 21, 18 (89, 21) *Scipione Norbanoque consulibus tertius ille turbo ciuilis insaniae toto furore detonuit, quippe cum hinc octo legiones, quingentae cohortes starent in armis, inde ab Asia cum uictore exercitu Sulla properaret.*[15]) Praeterea secundum Salmasii coniecturam constructio magis implicata est,

15) Ut numerus multo maior, ita natura alia est eorum exemplorum, quibus per *quippe cum* non sententiae, quae antecedit, causa subiungitur, sed *quippe* idem ualet atque *nam* uel *enim*, cfr. IV, 12, 17 (117, 8) *a Pisone perdomiti in ipsa captiuitate rabiem ostendere. quippe cum catenas morsibus temptarent, feritatem suam ipsi puniebant.* Quae huc adscribere supersedeo.

nam in altera parte enuntiati causalis ex datiuo *cui* nominatiuus *qui* supplendus est. Ceterum in ellipsi praedicati *esset* non offendendum esse ex eis apparet, quae collegerunt Thoméus l. s. s. pag. 11 et Egenus l. s. s. pag. 15.

II, 2, 24 (31, 22): Quoniam in uerbis *quippe diuersa quam hostis mandauerat censuit* (scilicet Regulus) pro *hostis* B J N *hostes*, pro *mandauerat* N saltem *mandauerant* exhibent, ad Dukeri lectionem *hostes mandauerant* redire non dubito. Etiam in eis, quae statim sequuntur, *ne pax fieret, ne commutatio captiuorum reciperetur* memoria codicum restituenda est. Nam J praebet *nec commutatio*, B *nec*commutatio* (quare Halmius praefationis pag. VIII *neue* scribi iubet), *N *nēcommutatione.* Itaque *nec* cum Salmasio probo. Addo nullum praeterea apud Florum locum esse, quo negatiuae sententiae finali altera negatiua subiungatur.

II, 6, 45 (40, 11): *tanta uentorum uiolentia coorta est, ut diuinitus hostem summouere non a caelo, sed ab urbis ipsius moenibus et Capitolio uideretur.* Sic Tollii coniectura probata Jahnius Halmiusque. Sed in libris passiuum traditum est (*summoueri* B *submoueri* J *N). Quod num recipiendum sit, quamquam dubitari posse concedo, tamen eiusmodi constructionis exempla extare negari non potest; uide Draegerum l. s. s. § 438, 5 et 461.

II, 19, 5 (56, 19): Dukerum secuti Jahnius Halmiusque sic scribunt: *quae etsi iuncta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul et ne scelera uirtutibus obstrepant, separatim proferentur.* Sed pro *quae etsi* in N est *quae si*, in B paulum corruptum *quasi.* Quod cur reiciamus, non assequor. Nam *si* praesertim sequente particula *tamen* uim concessiuam obtinere notum est, cfr. Sall. Jug. 85, 48 *quae si dubia aut procul essent, tamen omnis bonos rei publicae subuenire decebat* et quae collecta sunt a Kuehnero ('ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache') II pag. 946 sq.

III, 1, 7 (58, 9): *sed rex, expertus fortius aduersus Romanos aurum esse quam ferrum, pacem emit. expertus* debetur Jahnii coniecturae, libri habent *peritus.* Idque ipsum restituo. Nam *peritus* interdum idem ualet atque *expertus*, ut eadem de re legitur III, 5, 18 (65, 22) *rex callidus Romanaeque auaritiae peritus* nec minus recte quam *gnarus ignarus memor prudens* similiaque, de quibus agit Draegerus l. s. s. § 444, cum infinitiuo coniungitur.

III, 16, 1 (81, 2): *nihilo minus Apuleius Saturninus Gracchanas adserere leges non destitit. tantum animorum Marius dabat, qui nobilitati semper inimicus* e. q. s. Sic locum constituit Jahnius eumque etsi dubitanter sequitur Halmius (cfr. praefationis pag. XIV). Contra in B est *tantum uiro Marius dabat*, in N *tantum animorum uiro Marius dabat.* Utut igitur de ceteris statuimus, cur *uiro* aut cum Jahnio deleamus aut cum Halmio et Binsfeldio (quaestiones criticae Florianae) pag. XI in *uirium* mutemus, non uideo. Qua in re cum Mommseno consentio, qui *tantum uiro Marius dabat spei* scribi iubet. Ceterum cfr. IV, 2, 72 (102, 12) *ausi post hoc uirum medici uiolare fomentis;* IV, 12, 44 (120, 17) *simulata proditione adortus uirum intentum libello.*

III, 20, 9 (87, 6): *defunctorum quoque proelio ducum funera imperatorum celebrauit exequiis* (scilicet Spartacus), *captiuosque circa rogum iussit armis depugnare, quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerarius (munerator N) fuisset.* Sic libri, nisi quod in B ante *fuisset* additur *tum.* Inde Jahnius eumque secutus Halmius superuacanea, ut mihi quidem uidetur, coniectura scripsit *bustum fecisset.* Nam *fuisset* hoc loco, ut non raro (cfr. Kuehnerum l. s. s. I pag. 519, 11 adn.), idem ualet atque *factus esset.*

Num ex B *tum* recipiendum sit, dubito, quamquam id affirmat Spengelius in 'Abhandlungen der philos. philol. Klasse der kgl. bayrischen Akademie der Wissenschaften' uol. IX pag. 343 adn. 2.

Duobus locis memoriam codicum BJ ei, quam exhibet N, praeferendam censeo.

I, 1, 15 (7, 24): *consilium rei publicae penes senes esset, qui ex auctoritate patres, ob aetatem senatus uocabantur. uocabantur* omnes editiones ex N exhibent, sed BJ praebent *uocabatur.* Singularis numerus librariis lectio difficilior erat. Itaque facilius fieri poterat, ut ab eis in pluralem temere corrigeretur, quam contrarium. Ceterum cfr. Sall. Jug. 18, 11 *ea loca quae proxuma Carthagine Numidia appellatur* et quae collegit Draegerus l. s. s. § 111, 2b et 113.

Item rarior quaedam forma in eisdem codicibus **I, 13, 7 (17, 9)** seruata est. Dico nominatiuum *cladis,* quem praeterea 1, 16, 9 (21, 1) si non BJ, attamen Jordanis codices exhibent. Vestigia huius formae ex aliis scriptoribus collecta suppeditant Neuius ('Formenlehre der lateinischen Sprache') I pag. 180 et Koffmanius in lexico formarum latinarum pag. 32.

Adiungo nonnullos locos, quibus editores codicis B lectiones male neglexisse mihi persuasi.

Quater: **II, 15, 10 et 18 (50, 6; 51, 1), III, 3, 21 (62, 20), III, 10, 13 (72, 9),** rarior forma *pote est* codici B debetur. Quod iam perspexit Spengelius l. s. s. pag. 337 adn. 1.

III, 13, 1 (79, 4): *studium populi ac fauorem agrariis frumentariis iudiciariis legibus aucupabatur* (scilicet tribunicia potestas). Inter *frumentariis* et *iudiciariis* in B coniunctio *ac* interposita est, idque probo. Nam scriptor etsi non saepe tamen interdum ultimum membrum cum paenultimo hac particula coniungit, ut in tribus membris III, 3, 1 (60, 8) *Cimbri Teutoni atque Tigurini;* IV, 12, 4 (115, 7) *Breunos Cennos atque Vindelicos;* in quinque membris II, 19, 1 (56, 5) *hactenus populus Romanus pulcher egregius pius sanctus adque magnificus*[16]*);* in sex membris I, 18, 27 (25, 13) *Molossi Thessali Macedones Brittius Apulus adque Lucanus;* in septem membris IV, 1, 3 (93, 9) *Curii Porcii Sullae Cethegi Autronii Varguntei atque Longini.*

III, 20, 4 (86, 17): *ibi* (scilicet in monte Vesuuio) *cum obsiderentur a Clodio Glabro, per fauces caui montis uitineis delapsi uinculis ad imas eius descendere radices et exitu inuento* (sic Freudenbergius musei Rhenani uol. XXII pag. 28 sq., *indiuiso* B, *inuno* N, *inuiso* Jahnius Halmiusque) *nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuerunt; inde Vareniana castra, deinceps Thorani; totamque peruagantur Campaniam.* Sic haec uerba constituit Jahnius. Contra Halmius scribendum censet *inde alia [castra], Vareniana, castra deinceps Thorani,* Freudenbergius l. s. s. pag. 29 *inde alia uia Vareniana castra, deinceps Thorani,* Sauppius l. s. s. pag. 15 *inde Vareniana, deinceps Thorani.* Librorum memoria haec est:

inde alia castra uareniana castra deinceps thorani B
inde alia *castra deinceps horani* *N.

16) Consulto omisi IV, 3, 8 (106, 1) *ciuilibus externis seruilibus terrestribus ac naualibus bellis.* Nam praeterquam quod *externis seruilibus* a N absunt, *terrestribus* et *naualibus* artius inter se cohaerent. *seruilibus* autem delendum censent Spengelius l. s. s. pag. 322 adn. 1, Koehlerus l. s. s. pag. 37, Reberus, 'das Geschichtswerk des Florus' pag. 56 adn.

Quae B praebet, defendi possunt, cum sic interpunguntur: *inde alia castra, Vareniana, castra deinceps Thorani.* In repetitione uocis *castra* non haerendum esse apparet ex eis, quae Halmius praefationis pag. 15 exposuit. Librarius codicis N uel eius archetypi ab altero *castra* oculis ad alterum aberrauit. Si quid in his uerbis corrigendum esset, id quod ego quidem nego, *alia* deleri mallem.

IV, 12, 50 (121, 22): in uerbis *seque pars maior a captiuitate, quae morte grauior ad id tempus indomitis uidebatur, uindicauerunt* in B rarius aliquid seruatum, in N neglegentia librariorum oblitteratum est. Omittit enim B praepositionem *a.* De constructione cfr. Vell. II, 28, 2 *ad uindicandam maximis periculis populi libertatem.*

Eadem praepositio **IV, 12, 56 (122, 9)** in N falso addita est, in B recte omissa. Legendum igitur censeo: *nisi Brigaecini prodidissent, quibus* (ante hanc uocem in N *a* extat) *praemonitus Carisius cum exercitu aduenit.* Nam scriptor nonnunquam datiuum cum uerbis passiuis coniungit. Exempla suppeditant Thoméus l. s. s. pag. 15 et Egenus l. s. s. pag. 17, qui III, 1, 14 (58, 29) ex codice N *urbem Herculi conditam* (in B est *ab Hercule*) bene restituit. Ceterum cfr. quae habet Tillmannus actorum seminarii philologici Erlangensis uol. II pag. 120, 126, 136.

Multo pluribus locis **memoriam codicis Nazariani** in textum recipiendam censeo. Hac ratione non raro fit, ut lectiones ueterum editionum, in primis Dukerianae, restituantur. Quod semel hic monere satis est.

I, 3, 7 (9, 3). In narrando proelio, quod inter Tullum Hostilium et Fidenates commissum erat, scriptor haec habet: *sed rex callidus ubi inclinare socios ad hostem uidet, tollit animos, quasi mandasset: spes inde nostris, metus hostibus.* Sic e BJ Jahnius Halmiusque, sed N exhibet *quasi ipse mandasset.* Pronomine addito haud dubie uis totius enuntiati simili modo augetur, atque apud nonnullos alios scriptores, qui hac de re agunt, pronomine *suo* ante *iussu* posito, cfr. Liv. I, 27, 8 *nihil trepidatione opus esse; suo iussu circumduci Albanum exercitum;* Val. Max. VII, 4, 1 *praedicans suo iussu secessisse Mettium;* de uir. ill. 4, 12 *magna uoce ait suo illud iussu Mettium facere.*

I, 7, 3 (10, 22): *Tullia, quae, ut uirum regem salutaret, supra cruentum patrem uecta carpento consternatos equos exegit.* Pro *exegit* e N simplex *egit* restituo. Cfr. quae de eadem re leguntur apud Liv. I, 48, 7 *Tullia per patris corpus carpentum egisse fertur* et de uir. ill. 7, 19 *mulionem euitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit,* de simili re apud Justin. XLI, 6, 5 *per sanguinem eius currum egit.*

I, 7, 7 (10, 30): *cui* (scilicet Tarquinio filio) *Gabiis, ut uoluerat, recepto et per nuntios consulenti, quid fieri uellet e. q. s.* Haec lectio, quamquam iam apud Dukerum est, nullius libri auctoritate confirmatur. Nam in BJ est *quo a gauiis,* in N *cui gabios.* Itaque aut cum Graeuio, quoniam *quo* falsum esse ex datiuo *consulenti* apparet, *cui a gabinis* scribendum (cfr. Liv. I, 53, 10 *benigne ab Gabinis excipitur*) aut, id quod ego probo, ex N *cui Gabios* recipiendum. Accusatiuus *Gabios* non minus recte e *recepto* pendet, quam aliis locis praepositio *in* cum eodem casu coniuncta, ut I, 13, 12 (17, 22) *in plaustrum recepit;* II, 12, 11 (47, 27) *in tribunal recepit* (cfr. Halmii praefationem pag. X); III, 16, 6 (81, 22) *receptus in curiam est.*

Rarior forma e N **I, 13, 14 (17, 28)** recipienda uidetur. Exhibet enim pro *ne quis subesset dolus,* quod est in B (Jordanes duos uersus inde a *primo trepidi* usque ad *passim*

domos omisit), *ne qui subesset dolus.* De simili apud Martialem et Sallustium lectionis uarietate nuper egit Gilbertus Fleckeiseni annalium uol. CXXVII pag. 643 sq. Adiungo apud Florum III, 1, 1 (57, 20) in B*N extare *qui speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum?*

I, 17, 4 (21, 24): *set nihil horum terruit ducem, quin fratre praemisso exploraret accessus.* Sic e B (in J est *explorare*) Jahnius Halmiusque. Quod per se spectatum non habere, quo offendat, cognoscere licet ex eis, quae sunt apud Draegerum l. s. s. § 528, 3. Sed, quod in N est, *explorat*, id uel ea de causa recipiendum uidetur, quod antecedente coniunctione *quin* multo facilius fieri potuit, ut a librariis *explorat* in *exploraret* corrumperetur, quam *exploraret* in *explorat*. Scribendum igitur cum Salmasio: *set nihil horum terruit ducem. quin fratre praemisso explorat accessus.* Accedit, quod alio quoque loco in N *quin* seruatum, in B in *quid* (idque male probauerunt Jahnius Halmiusque) corruptum est: **III, 19, 7 (85, 7)** *quin illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt castra praetorum.* Tertium adiungo locum **III, 20, 9 (87, 6)** *quin defunctorum quoque proelio ducum funera imperatorum celebrauit exequiis.* Hic pro deprauata librorum memoria (*quia* B *qui* N) *quin* ex Freinsheimii coniectura a Jahnio Halmioque scriptum est.

II, 2, 1 (29, 1) in uerbis *populus Romanus cum ad fretum usque uenisset* praepositio *ad* cum codice N omittenda est. Nam quamquam reliquis quinque locis (I, 10, 8 (14, 4) *ad inferos usque*; I, 16, 7 (20, 20) *usque ad ambitum;* III, 4, 1 (62, 26) *in Adriaticum mare usque;* III, 4, 6 (63, 15) *in Sarmatas usque;* III, 22, 2 (91, 10) *usque in Oceanum*) praepositiones additae sunt, tamen hic quoque idem atque supra moneo, in N difficiliorem lectionem seruatam, in B faciliorem in eius locum substitutam esse. Exempla collecta sunt apud Draegerum l. s. s. § 265 et Neuium l. s. s. II pag. 700. Addo orig. gent. Rom. 1, 1 *usque id tempus*; 8, 4 *usque Appium Claudium*; de uir. ill. 67, 2 *usque sextum consulatum;* Eutr. VI, 10 *usque Danuuium;* Ruf. 3 (pag. 6, 19 ed. Foerst.) *Danuuium usque.*

II, 2, 2 (29, 7): pro *ad continentem suam* N exhibet *ad continentem suum.* Quod restituendum. Nam substantiuum *continens* interdum masculini generis esse docet Neuius l. s. s. I pag. 688.

II, 2, 16 (30, 23): *adeoque omni terra et mari Poenos purgauit, ut iam uictoriae nihil nisi Africa ipsa restaret.* Sic nunc ex B J editur. Sed pro *omni* exhibet N *omnis*, quod uel ideo praeferendum, quod quomodo factum sit, ut *omni* ante *terra et mari* in *omnis* corrumperetur, non intellegitur. De forma *omnis* egi l. s. s. pag. 204. Contra uehementer dubito, num ex N asyndeton *terra mari* recipere liceat. E Floro res diiudicari nequit, nam II, 8, 11 (44, 16) est *mari ac terra*, III, 5, 14 (65, 11) *mari terra fluminibusque.* Pro *purgauit* in N traditum est *repugnauit*, e quo Salmasius admodum probabili coniectura effecit *repurgauit.*

II, 2, 22 (31, 14): ex B J scribitur *hic paululum circumacta fortuna est.* Contra e N *paulum* recipiendum uidetur, quoniam id uterque codex exhibet IV, 2, 71 (102, 10) *paulum quieti dedit.* Quamquam hac de re dubitari posse concedo. Ceterum de simili librorum optimorum apud Sallustium discrepantia agit in primis Vogelius actorum seminarii philologici Erlangensis uol. I pag. 314.

II, 2, 30 (32, 10) B J haec habent: *classem iam in africo mari aput aegimurum (egimurum J) hostium in italiam ultro nauigantem cecidit* (scilicet populus Romanus). Quae sana non esse manifestum est. Itaque Jahnius Hauptium secutus haec edidit: *classem hostium in Africo mari aput Aegimurum insulam in Italiam ultro nauigantem cecidit*, Halmius autem

haec: *classem iam in Africo mari aput Aegimurum ostium in Italiam.... cecidit.* Neutra coniectura opus est. Nam haud dubie uerum ex N restituendum: *classem hostium in Africo mari aput Aegimurum iam in Italiam ultro* (*uitro* codex) *nauigantem cecidit.* Quibus uerbis nil inest quod offendat. Particula *iam* ab Hauptio perperam in *insulam* mutata est, nam eam Florus in deliciis habet. Ceterum ne quis nihilo minus in memoria librorum B J aliud quid latere putet, moneo eam manifesta transmutatione uerborum *hostium* et *iam* ortam esse.

II, 3, 2 (33, 11): rarissima forma *desub (desub ipsis Italiae faucibus)* e Nazariano restituenda. De qua agit Neuius l. s. s. II pag. 787.

II, 6, 27 (38, 5): *prima redeuntis et, ut ita dixerim, reuiuiscentis imperii spes Fabius fuit.* Sic e B J Jahnius Halmiusque. Sed *ita* repugnat constanti scriptoris usui, respondet, quod in N est, *sic.* Vide I, 11, 11 (15, 7) *ut sic dixerim*; III, 21, 3 (88, 4) *ut sic dixerim;* IV, 2, 63 (101, 10) *ut sic dixerim;* cfr. similes locos: II, 6, 35 (39, 2) *nam sic uocantur;* II, 18, 12 (55, 17) *sic uocant;* IV, 11, 10 (114, 23) *sic uocant* (B omittit *sic*).

II, 6, 41 (39, 25): Scriptor, postquam de rebus bello Punico altero a Romanis in Sicilia Sardinia Hispania gestis paucis egit, sic pergit: *Haec in diuersa terrarum populus Romanus, nec ideo tamen uisceribus Italiae inhaerentem summouere poterat Annibalem. in diuersa* ex B J scripserunt Jahnius Halmiusque. Quamquam in ellipsi praedicati non haerendum esse ex eis efficitur, quae collegerunt Thoméus l. s. s. pag. 11 sq. et Egenus l. s. s. pag. 15, tamen quaerere licet, quod hoc loco praedicatum omissum sit. De *pugnauit* uel simili uerbo, ut est I, 17, 1 (21, 15) *hactenus populus Romanus cum singulis gentibus, mox aceruatim*, cogitari nequit, quoniam additur *in diuersa terrarum*, non *in diuersos hostes* uel tale quidquam. Itaque *gessit* uel *egit* uel simile uerbum deesse apparet, cfr. III, 2, 1 (59, 16) *sic ad meridiem populus Romanus.* Quae si recte disputauimus, sequitur praepositionem *in* ferri non posse, sed ex N *inter diuersa terrarum* restituendum esse. De hoc usu praepositionis *inter* agit Draegerus l. s. s. § 273, 1a. Ceterum cfr. III, 5, 27 (66, 21) *per diuersa gentium terrarumque;* III, 6, 1 (67, 16) et III, 19, 2 (84, 19) *per diuersa terrarum.* Nec tamen inde cum Tollio hoc quoque loco *per* scribendum est. Adiungo a N abesse uerba *populus Romanus.* Quod num probandum sit dubito, quamquam simillimus locus est IV, 2, 64 (101, 13) *Sic cum exteris, at in Africa cum ciuibus multo atrocius quam in Pharsalia.*

II, 8, 12 (44, 17): *classis regia* (scilicet Antiochi) *Polyxenidae Annibalique commissa — nam rex proelium nec spectare poterat — duce Aemilio Regillo adremigantibus Rhodiis tota laceratur.* Quamquam haec lectio codicis B per se spectata satis placet, tamen particula *igitur*, quae in N inter *poterat* et *duce* inserta est, eo minus reicienda est, quod uix intellegitur, cur a librariis contextui illata sit. Sic autem cum ueteribus editionibus interpungo: *classis regia...... commissa, nam rex..... poterat. igitur duce Aemilio...... laceratur.* Hunc particulae *igitur* apud historicos Romanos usum nemo ignorat. Unum ex multis adscribo locum I, 1, 4 (6, 17) *ab his Amulius iam septima subole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. igitur statim prima iuuentutis face patruum ab arce deturbat.*

II, 18, 8 (55, 2) ex codice B nunc eduntur haec: *duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidium urbium inbuto.* Sed multo praestat lectio codicis N *ad excidia urbium*, cfr. III, 12, 3 (75, 14) *a Carthaginis Corinthi Numantiaeque excidiis* et III, 22, 8 (91, 25) *illis ad populationes* (N male *populationem*) *agrorum, his ad urbium excidia conuersis.* Item numerus pluralis haud dubie multo exquisitior ex N restituendus est **IV, 2, 77 (102, 29)**:

mox circa obsidiones urbium utrimque discursum est (in B est *obsidionem*), cfr. II, 16, 1 (51, 6) *quasi saeculum illud euersionibus urbium curreret.* Nec magis me probare, quod Halmius III, 4, 4 (63, 7) ex b scribi iubet *siluarum et montium situs cum ingenio consentiebat*, iam supra pag. 6 significaui.

III, 5, 23 (66, 9): *nocturna ea dimicatio fuit et Luna in partibus. quippe commilitans cum quasi dea a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset, Pontici per errorem longius cadentis umbras suas quasi hostium corpora petebant* B, *quippe quasi commilitans cum* (omissa uoce *dea*) *a tergo* e. q. s. N. Memoriam codicis B haud dubie corruptam Jahnius sic immutauit: *quippe commilitans quasi dea cum a tergo*, contra Halmius uerborum collocatione, quae est in N, probata haec scripsit: *quippe quasi commilitans cum dea a tergo.* Neutram rationem probo. Quid enim praecedente uoce *Luna* magis superuacaneum aut ineptum quam addita uox *dea*? Haec mihi a lectore quodam ideo adscripta esse uidetur, quod *quasi*, postquam librariorum neglegentia post *cum* positum est, non habebat quo pertineret. Itaque omissa uoce *dea* e codice N haec restituo: *quippe quasi commilitans cum a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset.*

III, 5, 29 (67, 1): *nec non in meridiem uerso agmine Libanum Syriae Damascumque transgressus* e. q. s. Sic B. In N est *nec non et.* Idque ut rarius et quod a librariis omissa coniunctione *et* corrumpi facile potuerit, restituendum censeo, cfr. II, 3, 2 (33, 10) *iam Insubres Galli nec non et Illyrii lacessebant.*

III, 6, 3 (67, 23): *quod ab spoliis aureum ipsi uocauere.* Sic e B Jahnius Halmiusque. Male. Nam ne uno quidem apud Florum loco praepositionis *a* forma plenior *ab* ante consonantem in utroque codice tradita est. Contra centum uiginti fere locis ante consonantem forma *a* sine ulla discrepantia librorum legitur, quinque tantum inter se discrepant: II, 2, 29 (32, 6) *a dis* B *ab diis* *N; II, 18, 13 (55, 20) *a duce* B *ab duce* N; III, 12, 9 (76, 6) *at senatu* B *a senatu* N (*ab senatu* Jahnius Halmiusque); IV, 2, 32 (97, 25) *ab latio* B *a blasio* N (editur *a Basilo*); IV, 10, 10 (113, 8) *ad gladiatore* B *a gladiatore* N (*ab gladiatore* Jahnius Halmiusque).[17] Quae cum ita sint, pro certo adfirmare audeo Florum ante consonantes semper forma *a* usum esse. Itaque et **III, 6, 3 (67, 23)** *a spoliis* et **III, 12, 9 (76, 6)** *a senatu* et **IV, 10, 10 (113, 8)** *a gladiatore* e codice N restituo.

III, 10, 16 (72, 22): *classe igitur conparata Britanniam transit* (scilicet Caesar) *mira celeritate; quippe qui tertia uigilia cum Morinorum soluisset a portu, minus quam medio die insulam ingressus est.* Sic nunc ex Halmii coniectura editur. Contra in B est *commorinosmouisset*, in N *marinosoluisset.* Num ex memoria codicis B *Morinorum* efficere liceat, ualde dubito, mihi enim in *Morino soluisset a portu* non esse offendendum uidetur. Sed pro certo affirmare audeo *cum* falsum esse. Si omnino in prima syllaba uocis *commorino* coniunctio *cum* latet, ac non potius e similitudine uocis *commorari* hanc corruptelam ortam esse putandum est, eam librarius quidam perperam addidit, quod quae esset constructio non intellexit. Neque enim *quippe* cum pronomine relatiuo *qui* coniungendum est, sed idem atque *nam* uel *enim* significat (uide quae supra pag. 10 adn. 15 de *quippe cum* exposuimus). Sic igitur haec

17) Adiungo aliis quoque locis praepositionem *a* in libris manu scriptis uarie corrruptam esse: III, 5, 1 (63, 22) *a septentrione* B *ad septentrionem* N; III, 5, 12 (65, 4) *et rege* B *a rege* N; IV, 2, 61 (101, 5) *ac sponte* B *a ponto* N; IV, 4, 5 (106, 18) *aboriente* B *a moriente* N.

uerba uertenda sunt: 'denn er, der doch erst um die dritte Nachtwache aufbrach, landete bereits vor Mittag.' Adscribo simillimos duos locos Sallustii: Cat. 13, 2 *quibus mihi uidentur ludibrio fuisse diuitiae: quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant* et Jug. 54, 8 *quae...... regem terrebant: quippe, cuius spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur.*

III, 10, 24 (73, 22): *circa Gergouiam Aruernorum tota belli moles fuit. quippe cum octoginta milia muro et arce et abruptis ripis defenderent, maximam ciuitatem...... primum fame domuit.* Hanc codicis B lectionem probauerunt Jahnius Halmiusque. Sed quid hoc loco sibi uolunt *ripae?* Nam et Gergouia (uide Caes. bell. gall. VII, 36, 1) *posita in altissimo monte omnis aditus difficiles habebat* et Alesia, quocum oppido scriptorem Gergouiam confudisse iam dudum obseruatum est, erat *in colle summo admodum edito loco* (uide eundem VII, 69, 1). Et ne inde quidem, quod apud Caesarem sequuntur uerba *cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subluebant*, contendere licet, oppidum illud *abruptis ripis* defensum esse. *Ripae* enim sunt fluminum, non oppidorum. Itaque Vielhaberus annalium gymnasiorum Austriacorum uol. XVIII pag. 245, quo libro uti mihi non licuit, *abruptis rupibus* scribi iussit. Sed ne ea quidem coniectura quamuis per se satis probabili opus est. Nam haud dubie uerum est, quod N exhibet, *abruptis* omissa uoce *ripis*, quam ad illam explicandam a librario codicis B uel eius archetypi perperam additam esse perspicuum est. Cfr. II, 7, 10 (42, 23) *Aoum amnem per abrupta uadentem;* II, 12, 4 (47, 7) *positis per abrupta castris*, et quae collegerunt Thoméus l. s. s. pag. 6 et Egenus l. s. s. pag. 11.

III, 20, 10 (87, 10): *consularem quoque adgressus in Appenino Lentuli exercitum cecidit* (scilicet Spartacus). Ex N restituo, quamquam hac de re dubitat Thoméus l. s. s. pag. 10, uerbum compositum *percecidit*, ut est IV, 12, 7 (115, 20) *terga hostium percecidit* (J *cecidit*). Similia composita sunt *perdomare*, quod legitur IV, 12, 11 (116, 11) et IV, 12, 17 (117, 8), et *perpacare*, quod IV, 12, 4 (115, 9) recte ex N reposuit Koehlerus l. s. s. pag. 41 sq.

III, 21, 26 (90, 19): *longum post haec referre ludibrio habita fata Carbonis* e. q. s. Pro *longum* N praebet *piget.* Ex Floro ipso, nisi quod simillima formula *pudet dicere* III, 20, 12 (87, 15) legitur, res diiudicari non potest. Tamen memoriam codicis N praefero. Nam praeterquam quod *piget* lectio difficilior est, scriptor hanc formulam lectioni Sallustii[18]) debere uidetur, cfr. Jug. 31, 2 *nam illa quidem piget dicere* et 95, 4 *incertum habeo pudeat an pigeat magis disserere.* Ex eodem fonte eam sibi assumpsit Vict. Caes. 5, 4 *uti pigeat pudeatque memorare huiuscemodi quemquam fuisse.*

18) Quamquam contra Heynium (de Floro historico) pag. 49 sqq. Florum neque Jugurtha neque Historiis Sallustii usum esse disputauit Jacobius, de Festi breuiarii fontibus pag. 35 sq., tamen post ea, quae nuper Eussnerus Philologi uol. XXXVII pag. 131 sq. et Vogelius actorum seminarii philologici Erlangensis uol. II pag. 436 sqq. exposuerunt, hac de re dubitari nequit. Itaque satis habeo nonnullos adscribere locos, quibus appareat Florum etiam in uerborum usu non pauca ex Sallustio petiuisse:

I, praef. 6 (6, 1) *uiris armis* (quod hic *uiris* in *uirens* mutari iubet Spengelius l. s. s. pag. 329 adn. 1, id recte improbat is, qui eius libellum recensuit in 'Literarisches Centralblatt' 1862 pag. 726); II, 6, 38 (39, 12) *uiris armisque;* II, 8, 4 (43, 19) *uiris opibus armisque* —— Sall. Jug. 57, 1 *armis uirisque;* ibidem 62, 8; 92, 7; 110, 4 (cfr. praeterea Gerberi et Greefii lexicon Taciteum pag. 97).

I, 6, 2 (10, 10) *adnitente regina* —— Sall. Cat. 19, 1 *adnitente Crasso;* Hist. IV, 61 D (ep. Mithr.), 14 *nullo circum adnitente.*

I, 9, 3 (12, 14) *gaudium incesserat* —— Sall. Cat. 7, 3 *cupido gloriae incesserat;* 13, 3 *lubido incesserat.*

III, 23, 1 (92, 7) ex B nunc haec eduntur: *sed quantulacumque fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit. cupidus rerum nouarum per insolentiam Lepidus acta tanti uiri rescindere parabat.* Sed N inter *cupidus* et *rerum* addit *namque.* Quod cur deleamus, non uideo. Nam Florus hac coniunctione interdum utitur eamque semper secundo loco ponit: I, 5, 5 (9, 28) *promptior. duodecim namque Tusciae;* I, 12, 6 (16, 4) *remisisset. eam namque uir sanctus;* I, 17, 6 (22, 2) *detonuit. ea namque species;* IV, 7, 10 (108, 27) *factum est. acie namque commissa;* IV, 12, 25 (118, 16) *retrorsum. uictor namque Drusus.*

IV, 1, 4 (93, 14): *summum nefas, ni amplius esset, propter quod biberunt.* Formam *ni* ideo, quod in B est *ne*, Jahnius Halmiusque in contextum receperunt. Male. Quamquam enim saepius quadragies coniunctio *nisi* in Flori libris legitur, tamen ne uno quidem loco ullum formae *ni* in codicibus uestigium extat. Itaque e codice N uulgata *nisi* restituenda est.

IV, 2, 9 (95, 14): *Metellus ob inminutum Cretae triumphum, Cato aduersus potentes semper obliquus detrectare Pompeio actisque eius obstrepere.* Sic B. Sed ualde dubito, num omnino *detrectare* cum datiuo coniungi possit. Itaque ex N praefero *Pompeium*, praesertim cum appareat, quam facile sequente datiuo *actis* accusatiuus *Pompeium* corrumpi potuerit. Eadem constructio est apud Sall. Jug. 53, 8 *aduorsae res etiam bonos detrectant* et Tac. dial. 11 *detrectaret poëtas.*

IV, 2, 37 (98, 11): *cum pars exercitus ob inopiam nauium cum Antonio relicta Brundisii moram faceret.* Pro *Brundisii*, quod est apud Dukerum Jahnium Halmium, ex N *Brundisio*, ut lectionem difficiliorem et quam a librariis oblitteratam esse consentaneum sit, scribo. Similes apud Florum ablatiui (uide Thoméum l. s. s. pag. 17) sunt *Asculo Arimino Peloro* et, quod I, 7, 5 (10, 27) ego l. s. s. pag. 212 sq. ex B recipiendum esse demonstraui, *Latio.*

II, 6, 56 (41, 13) *quos Syphacis Numidici regis equitatus* et III, 11, 8 (74, 24) *circumfusi undique equitatus ...... fuderunt* (= 'Reiterhaufen') —— Sall. Jug. 46, 7 *equitatus hostium propulsarent.*

II, 7, 5 (42, 10) *reges duces populi nationes* —— Sall. Cat. 10, 1 *reges magni .... nationes ferae .... populi ingentes;* 20, 7 *reges tetrarchae ..... populi nationes;* Hist. IV, 61 D (ep. Mithr.), 5 *nationibus populis regibus.*

III, 17, 9 (82, 23) *aegrum rerum temere motarum* —— Sall. Hist. IV, 73 D *consili aeger* (cfr. Thoméum l. s. s. pag. 17).

IV, 2, 8 (95, 13) *nimia Pompei potentia apud otiosos, ut solet, ciues mouit inuidiam* —— Sall. Jug. 25, 3 *ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, priuata gratia deuictum.* Plura suppeditat Dietschii index pag. 366.

IV, 2, 9 (95, 16) *hic dolor transuersum egit* —— Sall. Jug. 6, 3 *opportunitas ...... transuorsos agit* et 14, 20 *amicitia .... transuorsos agat.*

Ita fit, ut interdum ex comparatis locis Sallustianis ad crisin Flori fructus percipiatur, uelut:

I, 18, 17 (24, 11): *quidam hostibus suis morte sua conmortui* B *hostibus suis inmortui* N. Codicis B memoriam a Jahnio Halmioque bene praelatam esse apparet ex Sall. Hist. I, 89 D *obuiam ire et conmori hostibus.*

III, 15, 3 (80, 21): *nimius et inpotens* (*potens* B N) ex Heinsii coniectura ediderunt Jahnius Halmiusque. Recte. Cfr. Sall. Hist. IV, 71 D *inpotens et nimius animi.* (Quod Baehrens lectionum latinarum pag. 10 *praepotens* scribi iussit, id iure improbauit Sauppius in 'Philologischer Anzeiger' III pag. 127).

III, 21, 25 (90, 16): *admonente Fufidio* (*forfidio* B *furfidio* N) Dukerum secuti Jahnius Halmiusque. Vide Sall. Hist. I, 41 D (or. Lep.), 22 *Fufidius ancilla turpis.*

Praeterea cfr. quae infra de IV, 2, 9 (95, 14), IV, 3, 4 (105, 15), IV, 4, 4 (106, 16), IV, 2, 42 (98, 27) disputabuntur.

IV, 2, 64 (101, 13): *sic cum exteris, at in Africa cum ciuibus multo atrocius quam in Pharsalia. hic reliquias partium naufragarum quidam fugae aestus expulerat.* Sic B. Sed ad *expulerat*, quod hoc loco de undarum ui dicitur (= 'ans Land werfen'), multo melius quadrat, quod N exhibet, *huc.*

Ut saepius, ita **IV, 2, 75 (102, 23)** rarius aliquid et exquisitius in N seruatum est, qui codex in uerbis *siquidem quasi furorem ciuium castigaret, Oceanus utramque classem naufragio cecidit* pro *ciuium* exhibet *ciuicum. Rabies ciuica* (cfr. Hor. carm. III, 24, 25) legitur III, 21, 5 (88, 8) *ultimo non ciuicam modo sed hostilem quoque rabiem supergressum est.*

Eadem de causa **IV, 3, 4 (105, 15)** memoriae codicis B *Antonius uario ingenio* e codice N praefero *Antonius uarius ingenio*, ut est I, 8, 1 (11, 18) *sub regibus septem quadam fatorum industria tam uariis ingenio*,[19]) et Sall. Jug. 113, 3 *uoltu et oculis pariter atque animo uarius*, ubi libri manu scripti Servii, qui haec uerba ad Verg. Aen. VII, 251 laudat, eodem atque hoc loco codex B modo corrupti sunt, habent enim *uariis.*

Idem iudicium fero de **IV, 4, 4 (106, 16)**: *obsidione Mutinae liberat Brutum. obsidione* B *obsidio* N. Omnibus reliquis locis de formis huius substantiui libri Floriani inter se consentiunt:

Sing. Nom. *obsidio:* I, 12, 8 (16, 9) *decennis obsidio;* I, 13, 17 (18, 14) *obsidio sua;* II, 15, 10 (50, 10) *feruebat obsidio;* II, 16, 4 (51, 17) *terrebat obsidio;* IV, 2, 39 (98, 20) *obesset obsidio.*

Sing. Gen. *obsidii:* III, 5, 17 (65, 19) *ex mora obsidii (obsidentem* N).

Sing. Acc. *obsidium:* II, 6, 5 (35, 15) *ad auditum sociae ciuitatis obsidium.*

Sing. Abl. 1. *obsidione:* II, 6, 29 (38, 13) *ab obsidione;* II, 6, 56 (41, 16) *obsidione quatiebat;* III, 5, 10 (64, 23) *obsidione ac fame;* IV, 2, 39 (98, 19) *obsidione castrorum.*

2. *obsidio:* II, 2, 21 (31, 14) *Regulus ..... Carthaginem urguebat obsidio;* IV, 12, 50 (121, 18) *captum tamen postremo fuit Medulli montis obsidio.*

Plur. Acc. *obsidiònes:* IV, 2, 77 (102, 29) *circa obsidiones urbium (obsidionem* B, sed uide supra pag. 15 sq.).

Cum igitur apud Florum tertiae declinationis decem formae, secundae quattuor tantum inueniantur et accedat, quod hae omnino rariores sunt,[20]) mea quidem sententia facilius potuit accidere, ut librarii ablatiuum *obsidio* in *obsidione* corrumperent, quam contrarium, uelut II, 2, 21 (31, 14) pro codicum B N memoria *obsidio* in Jordanis libris manu scriptis extat *obsidione.* Similis scripturae discrepantia notanda est in formis *contagio* et *contagium.* Formae in — *io* in utroque codice leguntur duobus locis: II, 13, 1 (48, 12) *contagio traxit Illyrios* et II, 18, 4 (54, 20) *ab omni bellorum contagione*, in — *ium* semel tantum: III, 14, 2 (79, 22) *contagium timens.* Reliquis tribus locis formas secundae declinationis seruauit codex B

---

19) Consulto omisi I, 4, 1 (9, 12): *Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, raro ingenio* B *prauo ingenio* J *pari ingenio* N. Nam hominum doctorum his de uerbis iudicium admodum fluctuat: *raro ingenio* probant Jahnius Halmiusque, contra *pari ingenio* Sauppius l. s. s. pag. 8 et Mommsenus ad Jordanem pag. 12, 12, *par* (uel *pari*) *auo ingenio* scribi iubet Koehlerus l. s. s. pag. 7 eique adstipulatur Egenus l. s. s. pag. 21 adn. 1.

20) Quoniam formis secundae declinationis interdum Sallustius (uide Bruennertum, de Sallustio imitatore Catonis Sisennae etc. pag. 44), non raro Tacitus (uide Woelfflinum Philologi uol. XXV pag. 101) usi sunt, hac in re Florum uel utrumque uel alterum utrum imitatum esse conicere licet.

eumque iure secuti sunt Jahnius Halmiusque, in usitatiores mutauit N: I, 9, 8 (13, 5) *quasi contagio quodam (contagione quadam* N); I, 15, 1 (19, 21) *quodam contagio (contagione* N); II, 17, 5 (52, 17) *inde contagium (contagio* N).

IV, 5, 2 (106, 24): (Antonius) *depulsos agris colonos incitando iterum in arma reuocaucrat* B *iterum in arma ierat* N. Nunc plurimis, nisi quod Baehrens lectionum latinarum pag. 13 *iterum in arma rem reuocauerat* scribendum coniecit, Hauptii, de qua uide Jahnii praefationem pag. XXII, coniectura probatur: *iterum arma cierat.* Hisque uerbis imitationem Taciti inesse contendit Egenus l. s. s. pag. 13 adn. 1. Sed, ni fallor, correctio illa superuacanea est. Recte se habet, quod in N est, *iterum in arma ierat,* quae item formula Tacitea est, cfr. Ann. I, 55 *post quod in arma itum.* Adiungo id ipsum IV, 8, 5 (110, 19) ab Halmio pro corrupta codicis B memoria *itaque inille ad arma rursus* (N uiginti quattuor uersus omisit) scriptum esse, quamquam concedo hunc locum fortasse aliter constituendum esse.

IV, 7, 2 (108, 5): *statim e curia in Capitolium confugerant.* In N praepositio *e* omissa est idque probo. Nam Florum non raro ablatiuo qui dicitur separationis omissis praepositionibus uti ex eis apparet, quae collegit Thoméus l. s. s. pag. 17, uelut *pulsus Etruria, caelo iacerentur, caelo missa.* Simili modo libri manu scripti inter se discrepant I, 10, 1 (13, 8), ubi B recte exhibet *pulsis urbe regibus,* praepositio *ex* in N perperam addita est.

IV, 12, 36 (119, 16): *nihil insultatione barbarorum intolerabilius.* Sic B. Sed multo praestat memoria codicis N *intolerantius.* Nam praeterquam quod lectio haud dubie difficilior est, hanc quoque uocem lectioni librorum Taciti scriptor debere uidetur, cfr. Tac. ann. III, 45 *intolerantior seruitus iterum uictis,* quem ad locum Nipperdeius exempla ex aliis scriptoribus collegit, et XI, 10 *eo ferocior et subiectis intolerantior.* Similia sunt apud Florum I, 7, 9 (11, 8) *illut horrentius, quod* e. q. s. *(horrendum* N) et IV, 12, 66 (123, 24) *sanctius et reuerentius uisum est nomen Augusti,* cfr. Tac. Germ. 34 *sanctius ac reuerentius uisum de actis deorum credere quam scire.*

IV, 12, 54 (122, 5) in B haec sunt: *nec temere sumptus barbaris uidebatur t** impetus sed positis castris,* in N haec: *nec temere sumptus ut barbaris impes et positis castris.* Quibus de uerbis quoniam iam egit Koehlerus l. s. s. pag. 42, id unum addere uolui, nullo praeterea apud scriptores latinos loco nominatiuum *impes* traditum esse uideri (cfr. Neuium l. s. s. I pag. 582). Quamquam igitur de hac forma cum Dukero dubitare licet, tamen res digna mihi uidetur, quae commemoretur.

CAPUT IV.

II, 2, 13 (30, 12): *trepidatum est semel circa Camerinensium saltum, sed eximia uirtute Calpurni Flammae tribuni militum euasimus. qui lecta trecentorum manu insessum ab hostibus tumulum occupauit adeoque*[21]) *moratus hostes est, dum exercitus omnis euaderet. insessum* BJ *infestum et incessum* N. Lectio codicis N mihi nata esse uidetur ex *infestum ‡ insessum,* ut *infestum* uaria lectio pro *insessum* habenda sit, quam ex dittographia ortam esse suspicari licet (cfr. Jahnii praefationem pag. XXII sq). Sed ne *insessum* quidem recte se habere uidetur. Nam ut per se ueri simile est, locum illum, quem Calpurnius occupauit, ab hostibus non occupatum fuisse, sed trecentos illos impetu in medios hostes facto collem

21) *adeoque* (sic JN) memoriae codicis B *atque* praeferendum esse docui l. s. s. pag. 206.

ab illis neglectum cepisse et inde pugnantes suis salutem parauisse, ita rem hoc ipso modo gestam esse ex eis apparet, quae ab aliis scriptoribus traduntur. Vide inprimis Gell. III, 7, 6 *'censeo' inquit 'si rem seruare uis, faciendum, ut quadringentos aliquos milites ad uerrucam illam', sic enim Cato locum editum asperumque appellat, 'ire iubeas, eamque uti occupent imperes horterisque',* et 12 *hostes eorum audaciam demirantur, quorsum ire pergant, in exspectando sunt. Sed ubi apparuit, [ad] eandem uerrucam occupandam iter tendere, mittit* e. q. s.[22]) Adde Liv. XXII, 60, 11 *Calpurnius Flamma trecentis uoluntariis, cum ad tumulum eos capiendum situm inter medios duceret hostes, dixit* e. q. s.; de uir. ill. 39, 3 *tribunus militum Calpurnius Flamma acceptis trecentis sociis in superiorem locum euasit.* Itaque, quoniam *insessum ab hostibus tumulum* per 'einen von den Feinden unbesetzten Hügel' uertere non licet, pro *insessum* aut *circumsessum* aut, id quod ego probo, *non insessum* scribendum est. Negatio *non* quam facile inter *manu* et *insessum* a librariis omitti potuerit, nemo non uidet.

II, 15, 12 (50, 15): *hunc Paulo Macedonico procreatum Africani illius magni filius decus gentis adsumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat auus, nepos eius euerteret.* Miror quod nemo in uoce *eius* offendit. Qua deleta *auus* et *nepos* multo acrius inter se opponuntur. Orta est ex dittographia primarum uocis *euerteret* litterarum. Quod ita esse apparet ex memoria codicis *N, qui haec habet: *eius uerteret.*

II, 15, 16 (50, 26) de numero uirorum Carthagine deleta captorum libri inter se discrepant. In B haec sunt: *deploratis nouissime rebus triginta sex milia uirorum se dediderunt,* in *N haec: *deploratis nouissime rebus ·XXXX· (XL superscript) se milia uirorum dediderunt.* Contra apud Appianum de reb. Pun. 130 leguntur haec: *ἐξῄεσαν αὐτίκα μυριάδες πέντε ἀνδρῶν ἅμα καὶ γυναικῶν*; accuratiora ex Liuio, ut uidetur, tradit Orosius IV, 23, 3 (pag. 273, 7) *fuisse mulierum XXV milia, uirorum XXX milia memoriae traditum est* (cfr. Mommseni historiam romanam II[4] pag. 37). Unde apparet neque Nazariani neque Bambergensis lectiones ueras esse. Ex hoc tamen libro *triginta* recipiendum est; *sex* quod addit e *se* corruptum esse inde apparet, quod id pronomen hoc ipso loco in N est. Hac corruptela orta non mirum est, quod librarii *se* perperam post *uirorum* addiderunt. Itaque totum locum sic constituo: *deploratis nouissime rebus triginta se milia uirorum dediderunt.* Simili modo *se* a uerbo *dediderunt* seiunctum est II, 11, 5 (46, 14) *in perpetuam se pacem dediderunt.*

III, 10, 11 (72, 2): *quaet Ariouisti regis superbia!* B *quae Ariouisti regis superbia!* N. Ex *quaet* Jahnius *quae erat* effecit idque recepit Halmius, quamquam praefationis pag. XIV Woelfflini coniecturam *quanta* fortasse rectius se habere concedit. Jahnii *quae erat* ideo falsum uidetur, quod scriptor in talibus exclamationibus uerbum *esse* omittere solet, uide exempla ab Halmio l. s. s. collecta. *quanta* etsi per se spectatum non displicet, tamen uix intellegitur, cur in codice N in *quae* corruptum sit. Itaque aut in *quae* acquiescendum aut, id quod uerisimilius esse contenderim, scribendum *quae et quanta Ariouisti regis superbia!* cfr. II, 6, 56 (41, 14) *quae quantaque utriusque castra facibus inlatis una nocte deleuit!* et III, 2, 6 (59, 28) *quod quantumque gaudium fuerit, uel hinc aestimari potest.*

22) Non esse offendendum in eo, quod apud Gellium tribuno illi non Calpurnius Flamma, sed Q. Caedicius uel Laberius nomen est, cognoscitur ex Front. I, 5, 15 (= IV, 5, 10) *alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium, plurimi Calpurnium Flammam uocitatum scripserunt.* Ceterum moneo neque ex his locis Frontini neque ex Liv. per. 17 aut ex Plin. nat. hist. XXII, 6, 11 aut ex Amp. 20, 5 (pag. 19, 13) quidquam redundare ad eam rem, de qua supra agimus, diiudicandam.

III, 16, 1 (81, 4): (Apuleius Saturninus) *occiso palam comitiis A. Ninnio competitore tribunatus subrogare conatus est in eius locum C. Gracchum, hominem sine tribu, sine notore, sine nomine; set subdito titulo in familiam ipse se adoptabat.* Quid sibi uelit imperfectum *adoptabat*, dici uix potest. Neque enim dubium est, quin ille non tum demum, cum ab Apuleio in locum Ninnii subrogatus est, sed iam antea in familiam illam se adoptauerit. Quare in textum recipienda coniectura Lipsii et Halmii (uide praefationis pag. XIV) *adoptarat.* De forma pauca addenda: in codice N formae per syncopen breuiatae, quales sunt *sperarat pugnarat liberarat*, nusquam traditae sunt (cfr. Thoméum l. s. s. pag. 9), in BJ bis tantum: I, 2, 4 (8, 13) *occuparat* BJ *occupauerat* N et I, 5, 4 (9, 25) *agitaram* B *agituram* (quod ex *agitaram* corruptum esse perspicuum est) J *agitabam* N. Quamquam de priore loco dubitari posse concedo, tamen I, 5, 4 (9, 25) *agitaram* recte se habet. Respondet enim plusquamperfecto *conceperat*, quod paulo ante legitur: *quem* (scilicet *Attium) rex in experimentum rogauit, fierine posset, quod ipse mente conceperat? ille rem expertus augurio, posse respondit. 'atquin hoc' inquit 'agitaram, cotem illam nouacula secari posse.'* *agitabam* igitur multo minus aptum est. Hoc igitur loco quoniam forma *agitaram* recte se habet atque accedit, quod in N eadem, atque modo in utroque codice, corruptela *(agitabam* pro *agitaram)* extat, *adoptabat* in *adoptarat* mutare non dubito.

III, 21, 21 (90, 1): *obsessaque curia sic de senatu quasi de carcere qui iugularentur educti. quantum funerum in foro, in circo, in penetralibus templis! quantum funerum* Jahnii coniectura est, N exhibet *quid funerum*, B *quantum id funerum.* Qua ex memoria quod Halmius praefationis pag. XVI *quantum fuit funerum* scribendum coniecit, eadem de causa improbo atque supra Jahnii coniecturam III, 10, 11 (72, 2) *quae erat Ariouisti regis superbia.* Scribendum igitur censeo: *quantum inde funerum in foro* e. q. s.

IV, 2, 42 (98, 27): *Pompeius aduersus haec* (agitur de rebus a Caesare et Pompeio ad Dyrrhachium gestis) *nectere moras, tergiuersari, sic hostem interclusum undique inopia commeatuum terere, usque dum ardentissimi ducis consenesceret impetus. Sic* e B Jahnius Halmiusque nec per se spectatum male. Sed uerum, ni fallor, in lectione codicis N *simul ut*[23]) latet, unde lenissima correctione *simul et* efficitur. Scribo igitur: *nectere moras, tergiuersari simul et hostem interclusum undique inopia commeatuum terere.* Formulis *simul et*, *simul atque*, *simul .....que* Florus non minus saepe utitur, quam Sallustius (cfr. Dietschii indicem pag. 363), e quo illum eas hausisse suspicari licet. Vide: I, 18, 8 (23, 8) *nouo odore simul ac stridore consternati equi;* II, 19, 5 (56, 20) *quo melius appareant simul et ne scelera uirtutibus obstrepant;* III, 5, 5 (64, 8) *in lassos simul atque districtos;* IV, 2, 69 (102, 4) *regio simul Romanoque sanguine;* IV, 2, 76 (102, 28) *cum omnia undique simul proelio et tempestate saeuirent;* IV, 2, 84 (103, 23) *simul et suorum erexit animos et hostis perculit.*

IV, 7, 6 (108, 17): *sed nec tum* (scilicet bello Cassi et Bruti) *inminentia destinatae cladis latuerunt.* Sic e B Jahnius. Sed iure dubitatur, num omnino dici possit *inminentia destinatae cladis.* Eo certe loco, quem ex Tacito attulit Egenus l. s. s. pag. 18 adn. 1 (ann. V, 4 *inminentium oblitus incerta pauci)*, haec constructio non defenditur. Aliud enim est dicere *inminentia* pro *res inminentes*, aliud cum *inminentia* genetiuum *destinatae cladis*

23) Quod in codice N praeterea *terreret* pro *terere* legitur, in eo non est offendendum. Ea enim corruptela, postquam *simul et* in *simul ut* deprauatum est, adiungi facillime potuit.

coniungere. Tam mirae constructionis exemplum non modo apud Florum, qui nihil habet nisi quae apud omnes illius aetatis scriptores leguntur, *subita belli, extrema deditionis, diuersa terrarum*, sed ne apud Tacitum quidem, quem similium amantissimum esse nemo ignorat, extat. Cfr. Zernialis selecta quaedam capita ex genetiui usu Taciteo pag. 35 sqq. Accedit, quod in codice *N manu si non prima at certe uetere *inminenta* (sic!) superscriptis litteris *is* in *inminentis* correctum est. Itaque eorum rationem probo, qui utrumque adiectiuum *(inminentis* uel *inminentia* et *destinatae)* ferri posse negantes alterum ad alterum explicandum adscriptum esse contendant. Utrum delendum sit, difficillimum est dictu. Halmius (quem uide praefationis pag. XVIII) *destinatae* damnat, quod scriptor in tali re participio *inminens* uti soleat. Contra dixerit quispiam, ueri similius esse ad rariorem uocem *destinatae* explicandam usitatiorem *inminentis* adscriptam esse. Haec est sententia Perizonii. Sed utut hac de re iudicamus, certe aliquod substantiuum desideratur, e quo genetiuus *cladis* pendeat. Id autem quoniam codex N ipse exhibet *(signa)*, non est cur cum Halmio *omina* ante *inminentis* addamus. Itaque locum sic constituo: *sed nec tum destinatae* (uel *inminentis*) *cladis signa latuerunt.*

IV, 7, 13 (109, 12): *cum speculator quoque in id missus tardius nuntiaret* e codice B scribunt Jahnius Halmiusque. Quod quamquam per se spectatum non habet quo offendat, tamen, quoniam in N est *enuntiaret*, lectio ueterum editionum *renuntiaret* restituenda uidetur. Compositum *renuntiare* ad uerba *in id missus* maxime quadrat.

IV, 12, 44 (120, 16) de morte Gai Caesaris haec narrantur: *Dones* (N *Donnes)*, *quem rex Artagerae ex Parthis praefecerat, simulata proditione adortus uirum intentum libello, quem ut thensaurorum rationes continentem ipse porrexerat, stricto repente ferro subiit.* Haec Jahnius e lectione codicis B *quem rex artaxerses* (uel potius *artaxerser*, uide Halmii praefationem pag. XVIII) *parthis praefecerat* (N omissa uoce *parthis* exhibet *quem rex artaxatis praefecerat)* effecit, eis, ni fallor, commotus, quae tradit Vell. II, 102, 3 *mox in conloquio, cui se temere crediderat, circa Artageram grauiter a quodam, nomine Adduo, uulneratus.* Quo loco eum iniuria usum esse uel inde apparet, quod Armenius ille a Velleio *Adduus*, a Floro *Dones* uocatur. Itaque iure contendere mihi uideor illum ex alio atque Florum auctore sua petiuisse. Contra magnum ad certius de hoc loco iudicium ferendum adfert adiumentum Rufus, quem quae cap. 19 de rebus a Gaio Caesare gestis narrat, ex Floro ipso descripsisse pro certo adfirmare non dubito.[24]) Narrat autem haec (pag. 17, 11): *Donnes quidam, quem Parthis Arsacis praeposuerat, proditione simulata libellum, in quo conscripti thesauri continerentur, obtulit. Quem cum imperator Romanus legeret intentius, cultro Gaium adgressus uulnerauit.* His ex uerbis efficitur et *Donnes* in N recte per *nn* scriptum et *Parthis*, quod omisit N, genuinum esse. Ad *artaxerser* (B) et *artaxatis* (N) tertium accedit *arsacis.* In his Foersterus (de Rufi breuiario eiusque codicibus) pag. 13 sq. nomen regis, uelut *Artaxias*, latere putat. Mihi contra codex N uerum seruasse uidetur, quippe cuius lectio *artaxatis* et in *artaxerser* et in *arsacis* corrumpi facillime potuerit. Non inutile uidetur commemorare etiam III, 5, 27 (66, 21) in N *artaxatis*

24) Quod Jacobius (de Festi breuiarii fontibus) Florum a Festo exscriptum esse negans, quae uterque eodem uel simili modo narrat, ad communem quendam fontem referenda censet, id mihi quidem ab Eussnero Philologi uol. XXXVII pag. 154—161 refutatum esse uidetur. Sed ut res ita se habeat, ut Jacobius sibi persuasit, tamen Festi uerbis ad Flori contextum constituendum adhibere licebit.

legi, in B in *atrapens* deprauatum esse, memoriam autem codicis N testimonio eiusdem Rufi cap. 16 (pag. 15, 16) confirmari. Cfr. quae hac de re l. s. s. pag. 214 egi. In eo non est offendendum, quod *Artaxatis* recepto Florus a Velleio prorsus dissentit, nam ne Jahnii quidem coniectura probata illos inter se consentire iam supra significaui. Locum igitur sic constituo: *Donnes, quem rex Artaxatis Parthis praefecerat* (= ʻwelchem der König in Artaxata das Kommando über die Parther übertragen hatte'), *simulata proditione adortus uirum intentum libello . . . . . . stricto repente ferro subiit.*

INDEX LOCORUM.

Abschiedswort

am Sarge des Geheimen Schulrat Rektor Professor Dr. ILBERG

im Namen der Schule gesprochen

vom

